

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5460

Auteur(s) : Coutances (official)

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1274, 2 août

Lieu d'émission : Saint-Sauveur-le-Vicomte

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'official de Valognes et Raoul Quibou, chanoine de Coutances, rendent une sentence pour régler le conflit entre le prieuré de Céaux, dans le diocèse d'Avranches, le curé de Flottemanville-Hague et le chapitre de Coutances, à propos des dîmes des novales de Baudieulonde et de Varengron dans la paroisse de Flottemanville-Hague. Le prieuré de Céaux reçoit le huitième des dîmes d'un quartier de Baudieulonde. Il devra ratifier cette décision avant le 15 août.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 255, p. 393-394.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris, officialis Constantiensis apud Valonias et magister Radulphus de Kiboc, canonicus Constantiensis, salutem in Domino. Noveritis quod cum materia questionis seu contentionis esset orta inter priorem de Ceaulx, Abrincensis diocesis, et Thomam, rectorem ecclesie de Flotemanville, Constantiensis diocesis, ex una parte, et venerabile capitulum Constantiensis ecclesie ex altera, super decimis novalium de Warenguelon et de Baudoini Londa, tandem super premissis in nos compromiserunt, viam pacis eligentes et consenserunt, ut super premissis ordinaremus amicabiliter, inter ipsos inquisita prius veritate, prout nobis expediens videretur. Nos autem, die jovis post festum beati Petri ad vincula assignata dictis partibus in ecclesia parochiali Sancti Salvatoris Vicecomitis ad procedendum, ut jus esset, secundum tenorem compromissi predicti, pro bono pacis ordinamus quod in portione territorii de Baudienlonde, que est inter vallem Huscalli ex parte una et fossata de Flotemanville ex altera opposita et viam que dicit de Sidevilla ex parte superiori et parochiam de Torquetevilla ex parte altera, dictus prior et successores ejus habeant et percipient duas partes quarte partis decimarum novalium crescencium in posterum pacifice et quiete. In residuo vero dicti territorii de Baldoini Landa et in prefato territorio de Warenguelon, nichil percipient nec de decimis aliquid poterunt reclamare, super quibus eisdem priori et successoribus ejus perpetuum silencium duximus imponendum. Actum cum Guillelmo dicto de Toto, presbytero, procuratore dicti capitulo legitime ordinato, et cum Meno, presbytero, cavente de rato ad penam viginti librarum tur. pro predicto priore, dato fidejussore magistro Herveo, scolastico Constantiensi, de dicta pena solvenda, si contingere eam committi. Qui Menus coram nobis officiali predicto tanquam coram ordinario judice supposuit se jurisdictioni nostre quoad hoc, et debet idem Menus prout promisit ibidem coram nobis infra Assumptionem beate Marie sub pena predicta facere et procurare quod dictus prior ordinationem premissam habebit ratam, et hoc per litteras

procuratorias nomine dicti prioris vel alias sufficienter ut jus erit. Actum de consensu parcium, anno Domini M^o
CC^o LXX^o quarto, die jovis post festum beati Petri apostoli predictum.